



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Longè optabilius & vtilius esse Purgatorium, per morbos huius, quàm
alterius vitæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

morbis, quàm si eis sanitatem largiretur. Immò adhuc se se demittunt atque indignos æstimant, vt possint esse diuinæ gloriæ materia & argumentum. Quis ego sum, aiunt, qui possim Deum etiam infirmitate mea colere? quis, vt diuinus honor mei causâ crescat? ægrotem, mi IESV, patiarque & capitis, & lateris dolores, modò hoc ad Nominis tui gloriam vergat.

VI.
Anton. Balingh. 31.
Oâobr. ex
libello Leodij impresso.

In horum classe reponendus est Alphonſus Rodericus Societatis nostræ laicus, qui anno Christi 1617. ex hac vita ad Saluatorem suum sanctissimè migravit, adèò regularum obseruans, vt diceret, se ne folium quidem ex horti arbore decerpturum, sine Superiorum permissu, etiam si tota inferorum potestas, omni vi sua ei mortem machinaretur. Huic Deus reuelauit viuo, nullum ei, post hanc vitam, Purgatorium super futurum. Qua reuelatione adèò non superbiuit, vt inde tantò se se magis demitteret, seque peccatorem maximum, immò canem mortuum, vlceribus & tabo ac sanie plenum, in via iacentem reputaret. Ne quis ergo nesciat, cur hic Alphonſus, post mortem, quod rarum est, purgantes flammâ euaserit; Purgatorium, in hac vita habuit. Siquidem, præter alias assiduas variâque preces, identidem DEVM, & Deiparam ardentissimis precibus obsecrauit, vt sibi, in præſenti vita, cruce doloresque immitterent, quibus vel pro noxiis satisfaceret, vel Christi patientis vestigijs insisteret, Conditorem suum, cruciatuum tolerantiam honoraret. Audite sunt preces. Vehemens illum morbus inuasit, qui eum, mensibus duodecim, miseris modis discruciauit. Sed videbatur nihilominus dolor ille nimis exiguus. Petijt igitur, à vertice capitis, vsque ad plantam pedis, per omnia membra, dolores acutissimos sustinere. Mira sitis patiendi. Exauditus est Rodericus, etiam hæc petens. Et quamuis calculo tortore, cum ingenti cruciatu laceraretur, ardentissimaque febre æstualet, perque tres integros menses vni incumbere lateri cogeretur; tamen identidem exclamauit. *O IESV plus; plus ô IESV; plus ô Maria; ô Maria, impetra mihi, vt plus patiar.*

VII.

Ad hoc rarum & admirabile desiderium, quid eum impulisse credimus? Fides illum docuerat, duplex esse Purgatorium, vnum in hac vita, per morbos, & aduersa, quæ hominibus accidunt:

dant: alterum in altera vita, in quo quidem poena infligitur, si-
ne ullo impatientiae metu, aut periculo nouae culpae; tamen eti-
am absque merito & gratiae augmento, vel spe, ad maiorem, ob
patientiam & toleratos acerbissimos dolores, gloriam progre-
diendi. Contra huius vitae Purgatorium, morbi, & quaecumque rerum
aduersarum ærumnae, habent quidem periculum impatientiae alia-
rumque; culparum, quae in huiusmodi calamitatibus irrepere, seque
admiscere solent; attamen possunt cum diuino auxilio euitari; of-
ferturque magna occasio merendi, impetrandi, satisfaciendi.
Cumque incomparabiliter maius sit supplicium, quod in altero
mundo inferitur, quam id, quod etiam in dirissimis morbis mor-
tales patiuntur, hoc oprabilius est. Exiguus etiam dolor in
morbo, breui tempore, plus exsoluit de poenis debitis, quam in-
gens & diuturnus, in purgantibus flammis cruciatus; adeo, ut
ardor febrilis vnius diei in hac vita, possit exsoluere vnius men-
sis, aut etiam anni ignem in altero illo Purgatorio. Quia non
tantum soluit perferendo, & satisfaciendo, verum etiam satis-
faciendo, & heroicis charitatis, patientiae, spei aliarumque
virtutum actibus, augmentum charitatis promerendo. Offert
siquidem Deo quidquid patitur, ex amore Dei, facitque ex ne-
cessitate virtutem; immo si morbum optauit, & exorauit, non
jam ex necessitate, sed sua voluntate patitur. Quemadmodum
enim is qui alterum verbo, vel opere læsit, inter mortales, si
sponte retractet iniuriam, seque illi vltro submittat, longè faci-
lius satisfacit, quam si per iudicis sententiam ad honorem resti-
tuendum adigatur: ita longè minore poena voluntaria huius
vita contentus est Deus, quam in altera vita, in qua supplicium
in diuino Tribunali decretum coactis irrogatur. Qua de causa
etiam animae in Purgatorio, pro se solis possunt satisfacere, nihil
autè satisfactionis alteri vlli communicare; sicut possunt ægro-
ti in hoc mundo, qui saepe, per morbi patientiam, exsoluunt, &
quod ipsi debent, & id, quod illis superest, viuis, vel mortuis
queunt applicare, ac suo modo Ecclesiae thesaurum augere. Ad-
de, quod amanti Deum ipsa charitas tolerabilius faciat, quidquid
in terris patitur, quia minùs coacta est. Inclinator enim, ut sit
cum Deo sine suo vltimo, videns eum clarè in gloria sua, vbi tam-

quam lapis in centro suo conquiescit; aut saltem propendet in id, ut semper crescat, semperque magis ac magis, usque ad summum, quod potest, summum bonum amet: siquidem nullum habet terminum huius dilectionis. Quoniam ergo in Purgatorio altero, nec Deum intuetur, nec perficitur ad eum magis videndum atque amandum, versaturque ibi anima extra suum centrum, & violenter; fit, ut videns se pati quidem, sed non proficere & crescere in charitate, affligatur. Qua afflictione caret, quando cogitat se, in huius vitæ Purgatorio morbos patienter sustinendo, & gratiæ mereri, & gloriæ incrementum. Hæc talia, si ægrotus cum Alphonso considerat, huius vitæ Purgatorium, & mille morbos desiderat, ac Purgatorium futurum in præsens libens volensque commutat. Cui etiam ipsa charitas, & amor patiendi pœnam omnem, omnemque dolorem reddit, dulciorē; sine qua utique etiam leuissimus dolor nimis molestus, atque intolerabilis videtur. Est enim vetus Poëtæ dictum.

Placet in
Cæsin.

*Neque falsum, neque suave esse potest quicquam,
ubi amor non admiscetur.*

*Fel, quod amarum est, id mel faciet, hominem ex tristi
lepidum & lenem.*

VIII.

Nemo igitur miretur, Alphonsum, inter summos morborum dolores, identidem clamasse: *O IESU, plus; plus, ô IESU; plus, ô Maria; ô Maria, impetra mihi, ut plus patiar.* Nam quò plus patior, plus mereor: & cum crescente morbo, gratia gloriæque mea crescit; idemque est infirmitatis, & charitatis meæ augmentum. Neque verò amor dumtaxat Dei, sed etiam proximi, illi stimulus fuit, ut plus vellet pati. Ægrotus enim etiam; pro alijs, siue vivis, siue defunctis, dolores suos offerebat. Eratque illi magnum gaudium, & beneficij loco Numini gratias agebat, ob tale Purgatorium, in quo ipse & pro se, & pro alijs diuinæ justitiæ pœnas posset exolvere; quod in alterius vitæ Purgatorio non potuisset. Hæc res quàm magna sit, tunc magis animo capiemus, si meminerimus, à probatæ authoritatis Doctoribus doceri, posse aliquem, qui velit ægrotus vehementem unius diei dolorem satisfactionemque animæ in Purgatorio detentæ communicare & applicare, eius debitum solvere, & posse etiam ita

oppor-